VOTUM CARDINALIS PEREYRA

Prolatum in Congregatione Particulari de mandato Sanctissimi habita die 16. Maii 1725. suprà quæstionem in præsenti Romano Concilio propositam, Utrùm scilicèt Regulares ordinari possint à Diœcesanis extrà tempora à jure statuta.



D decisionem quæstionis in primis, ut certò supponendum est, quòd fermè omnes Religiones tam Monachales, quàm Mendicantes antè Concilium Tridentinum, vel virtute privilegiorum sibi specialitèr concessorum, vel virtute communicationis eorum intèr se mutuò, poterant à Diœcesanis, in quorum Territorio sita erant Monasteria Sacris Ordinibus initiari, etiàm extrà tempora à jure statuta, ut videre est apud *Roderic. quæst. regular. tom.3. quæst.23. art.5.*, *Lezan. in sum. quæst. regular. tom.1. cap.14. num.19.*, & apud multos passim.

Secundò supponendum est Concilium Tridentinum statuisse in *cap.8. sess. 23. de reform.*, quòd nemo promoveretur ad Ordines Sacros, nisi intrà tempora à jure statuta, virtute cujus decreti intrat quæstio, an per illud revocata manerent Regularium privilegia quoad hoc.

Affirmant *Lezan. in sum. quæst. regular. dicto tom.1. cap.14. num.19.*, *& tom.2. vers. = Ordines Sacri = num. etiàm 19.*, *Peyrin. in privileg. Minimor. tom.1. Constit.2. Sixti IV. §.11. num.39.*, *Mirand. in Manual. Prælat. tom.1. quæst.38. art.4.*, *Suar. de Legib. lib.8. cap. 17. num. 8.*, *Vasq. in 3. part. D. Thom. tom. 3. disput. 246. cap. 5. num.50.*, *Ricc. in dec. Cur. Archiep. Neap. decis.93. num.6. part. 4.*

Fundantur in eo, quià Concilium Tridentinum id omnibus expressè prohibet: quod magìs confirmatur ex eodem Trid. *sess. 25. de regular. cap. 22.*, ubi præcipit, omnia, & singula in suis decretis contenta inviolabilitèr observari etiàm in Cœnobiis, Monasteriis, & Collegiis; quibuscunque privilegiis non obstantibus; quòd jàm antè præceperant Constitutiones Pii II., & Sixti V., ut videre est apud *eumdem Lezan. loc. supracit.* Vndè cum habeatur lex id ex-

 presse

presse prohibens, claré sequitur, hoc jàm hodiè non licere Regularibus.

Attamèn in contrariam tendunt sententiam multi, & non parvæ auctoritatis DD., utpotè sunt *Roderic. quæst. regular. tom. 3. dicta quæst. 23. art. 5., & tom. 1. art. 55. num. 17., Villalob. in sum. tom. 1. tract. 11. difficult. 12. num. 8., & difficult. 13. num. 6., Joàn. à Cruce de stat. relig. lib. 2. cap. 8. dub. 1., Homob. de exam. Ecc. tom. 1. tract. 2. cap. 1. quæst. 3., Monet. de commut. ultim. volunt. cap. 10. num. 188., Barbos. de potest. Episc. part. 2. alleg. 17. num. 7., & in comment. ad d. cap. 8. Concil. Trid. de reform. sess. 23. num. 4., Portel. in dub. regular. vers. Ordines Sacri num. 4., Hieron. Roderic. in compend. quæst. regular. resolut. 106. num. 7., Laym. lib. 5. tract. 9. cap. 8. num. 1., Cœlestin. in compend. Theol. Moral. tract. 8. cap. 3. quæst. 4., Dian. coord. tom. 2. tract. 5. resolut. 84. num. 6., & 13., & resolut. 86., & 87., Martin. à S. Joseph in man. confess. tom. 1. lib. 1. tract 5. num. 13., Hynoiosa Dominicanus in director. decis. reg. verb. confirmatio, Donat. etiam Dominicanus in prax. regul. tom. 1. tract. 7. quæst. 8. num. 17., Passerin. Dominicanus utique de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 10. inspect. 10. à num. 30., Marchin. de Sacram. ordin. part. 7. cap. 7. à n. 1., Fr. Ant. de Spiritu Sancto in direct. regul. disp. 3. sect. 3. §. 4. num. 112.*

Et fundant hanc suam sententiam in eo, nempè, quod Concilium in *dicto cap. 8. sess. 23. de reform.* non revocat privilegia anteà quoad hoc Regularibus concessa; siquidèm tantummodò disponit, quòd Ordines conferantur à Diœcesanis intrà tempora à jure statuta, ut patet ex verbis, ibi = *Ordinationes Sacrorum Ordinum statutis à jure temporibus &c. publicè celebrentur, unusquisque autèm à proprio Episcopo ordinetur* = Et in hac dispositione nullam affert derogationem privilegiorum in contrarium, nec indultum aliquod speciale adimit illud habenti; quod facit in secunda parte ejusdem capitis quoad eos, qui præsumpserint Ordinationes suscipere à non suo Episcopo, absque illius dimissoriis; tunc enìm revocat privilegia, vel rescripta quæcunque contraria, ut patet ibi = *Quod si quis ab alio (scilicèt Episcopo) promoveri petat, nullatenùs id ei, etiàm cujusvis generalis, aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu, etiàm statutis temporibus permittatur.*

Undè cum in primo casu, de quo loquitur, scilicèt de ordinatione extrà tempora, solùm ponat legem generalem absque derogatione, & certum sit in jure, quòd generale non revocat speciale, nisi de eo fiat expressa mentio, juxta *Text. in leg. in toto 113., leg. sempèr 147. ff. de reg. jur., leg. itèm apud Labeonem 15. §. Hoc edictum 26. ff. de injur., leg. si non speciali 9. Cod. de Testam.*, ubi dicitur, quòd à generalitate est exemptum speciale, *leg. si Servus 27. §. 16. ff. ad leg. Aquil.*, ubi refertur non esse novum, quòd generalia specialibus subjiciantur text. in *cap. 1. de rescript., cap. studuisti, de*

de offic. legat., *Bald. conf.*88. *in princ. lib.*2., ubi dicit, quod generalis commissio, revocatio, seù dispositio posterior non revocat specialem præcedentem, nisi de mente disponentis expresè constet, *Dian. coord.*, *& apud eum Hinoiof. tom.*2. *tract.*5. *resolut.* 84. *num.*15., *Tusch. lit.G. concl.*36. *à n.*43., *Menoch. de arbitr. caf.*97. *à num.* 2., *& conf.* 36. *num.* 48., *& de præsumpt. lib.* 6. *præs.* 40., *Vallasc. Lusitan. consult.*72. *num.*2., *Rebuff. ad leg. Galliæ tom.*2. *in præfat. tit. de rescript. num.*103. Immò e conversò, quòd mandatum speciale posterius deroget generale antecedens, quamvìs de eo non fiat mentio tradit *Suar. Hispan. alleg.*28. *num.* 3., *Vallasc. ubi proximè d. consult.*72., *Cephal. conf.*393. *à num.*19. *lib.*3., *Card. Mantic. de conjectur. ult. volunt. lib.* 9. *tom.* 6. *num.* 22., tanta est enim mandati, vel privilegii specialis vis, & efficacia! Et sic benè sequitur privilegia specialia, quæ religiosis concessa erant, ut ordinari possent extrà tempora, non manere revocata per prædictum Concilii decretum, tanquam generale, & mentionem non faciens, neque revocans prædicta privilegia.

Quod corroboratur exemplo decimarum; nàm si quis in aliquo loco habeat speciale privilegium Sedis Apostolicæ non solvendi decimas, si posteà eadem Sedes Apostolica concedat per decretum generale decimas totius illius oppidi alicui Monasterio, vel loco Pio, non ideò manet revocatam illud speciale privilegium tali Particulari concessum non solvendi decimas; quià manet in suo vigore, proùt anteà erat, argumento *Textus in cap. Ex parte* 10. *cap. Licèt*, *& cap. Ad audientiam, de decim. cum vulgaribus*.

Corroboratur secundò, exemplo feudorum; nàm si Imperator generalitèr legitimaverit filios naturales ad feuda, si anteà concessum esset specialitèr alicui familiæ, ùt non possent in feudis succedere nisi nati ex legitimo matrimonio, non ideò manet revocata ista specialis concessio antecedens per illam generalem posteriorem, ùt docet *Anchar. conf.*308. *num.*7., *&* 8., *Card. Tusch. d. litt. G. concl.*33. *n.*39.

Corroboratur tertiò, exemplo statutorum, nàm statutum generale posterius non derogat speciali antecedenti, ùt tradit *Corn. conf.*66. *lib.*1., *Angel. conf.*160. *in princ.*, ubi dicit, quod statutum generale disponens de alienationibus, & de bonis ad cridas ponendis non derogat statuto speciali anteriori stabilito in fauorem minorum, ùt bona sua non alienentur, nisi sub certa solemnitate, & forma: idem docet *Tabor. lib.*7. *axiomat. cap.*9. *de genere, vers. Amplia sextò*, apud quem inuenies alia multa intentum comprobantia.

Ex quibus omnibus palam fit, prædictum Tridentini decretum in dicto *cap.*4., tanquàm generale non derogare privilegia specialia anteriora religiosis à Sede Apostolica concessa ad ordinationes extrà tempora.

Neque convincitur resolutio ex decreto ejusdem Tridentini à contrariæ sententiæ Auctoribus allegato in *cap.*22. *sess.*25. *de regular.* in

A 2 illis

illis verbis iàm suprà relatis, ibi = *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta observari Sancta Synodus præcipit in omnibus Cœnobiis, ac Monasteriis,* = adjuncta clausula = *Non obstantibus &c.* = Ex quo deduci videtur, prædicta privilegia respectu ordinationum extrà tempora revocata mansisse virtute prædictæ clausulæ = *Non obstantibus*.

Nam ad hoc respondetur, illa verba = *Hæc omnia, & singula in superioribus decretis contenta* = intelligi debere de decretis in illa *sess.25. de regular.* contentis; non verò de omnibus decretis per totum corpus Concilii dispersis, quod manifestè apparet ex illo verbo = *Superioribus* = ex quo liquet, loqui Concilium de decretis illic suprà relatis; alitèr si sermonem fecissent Reverendissimi Patres de omnibus decretis in toto Concilii volumine contentis, hoc fecissent in ultimo capite ultimæ sessionis dicti Concilii, ubi naturalitèr incidebat revocare omnia privilegia regularibus concessa, quæ repugnarent prædictis decretis, & maximè cum in aliquibus capitulis ultimæ sessionis 25. *de reform.* aliquæ inveniantur dispositiones, quæ tangunt, & respiciunt Regulares; quæ quidèm remanerent exclusæ, & non compræhensæ sub dispositione illius capituli 22.; Siquidèm solùm loquitur de superioribus decretis, & non de inferioribus, seù subsequentibus ità eruditè docet, & tenet *Roderic. in dicta quæst.23. art.5. vers. Nec contrà hoc obstat*.

Nec etiàm contrà hanc conclusionem facere videntur Constitutiones Greg. XIII., quæ incipit = *Superna* = 18. in ordine, ædita 12. Iulii 1574., & Sixti V., quæ incipit = *Pontifex Romanus* = 34. in ordine ædita 17. Maji 1586, à DD. opinionis adversæ ponderatæ, quatenùs confirmantes regularium privilegia, adjiciunt clausulam = *Dummodò non sint contraria decretis Concilij Tridentini* = Et cum privilegium suscipiendi ordines extrà tempora sit oppositum decreto Tridentini in dicto *cap.8. de reform. sess.23.*, benè sequitur, prædictum privilegium post Concilium subsistere non posse.

Quià ad hoc respondetur, argumentum non convincere, immo potiùs intentioni favere. Et ùt clariùs patefiat, huic dubio duplici responsione satisfacere intendimus. Prima sit, quòd præfatæ Constitutiones non agunt de revocatione, sed de confirmatione privilegiorum Regularium, & dicunt, quòd confirmant ea, quæ non sint contraria Concilio Tridentino, ergò quæ sunt contraria non confirmant; sed non ex eo sequitur, quòd revocent; siquidèm confirmatio nihil ponit de novo, sed tantùm dat robur confirmato, quin ad aliud extendatur, juxtà *Textum in cap.1. de confirmat. util., & inutil., cap. Inter dilectos 6. §. Porrò, de fin. instrum., l. Aurelius 28. §. Testamento ff. de lib. legat.* Undè quod non est confirmatum remanet in eodem pondere, vigore, & statu, in quo anteà erat, tanquàm quid omissum, & non cogitatum, ex regula *Textus in l. Commodissimè ff. de lib., & posth. l. Cum Aquiliana ff. de transact., Roman. cons.294. circà fin.,*

Cephal.

*Cephal.conf.3.num.*100.*lib.*1., *Castil.controv. lib.5.par.2.cap.*116. & *num.*4. *cum multis aliis*. Ideòque illa privilegia, quæ existimari possent opposita decretis Concilii non manent confirmata, sed remanent in dispositione Juris dommunis, & DD. judicio subjecta ad hoc, ùt examinent secundum eorum clausulas, & qualitates, an subsistere, vel non subsistere valeant; sed non ideò intelligi debent revocata: aliàs etiam Jesuitæ remanerent absquè prædicto privilegio Gregorii XIII. infrà citando, & censeretur revocatum: Siquidèm Sixtus V., qui floruit pòst Gregorium XIII. confirmavit, ùt suprà dictum est, omnia privilegia Regularium, quæ non essent opposita decretis Tridentini; atqui privilegium Greg. XIII. Jesuitis concessum est oppositum decreto Concilii Tridentini in *dicto cap.* 8. secundùm opinionem DD. contrariæ sententiæ, ergò præcisè reputari debet revocatum.

Augetur difficultas; si decretum generale Concilii *in d. cap.* 8. revocaret privilegia specialia antecedentia Regularium, etiàm decretum generale Sixti V. revocaret privilegium speciale Gregorii XIII. Jesuitis concessum; atqui non revocat, ùt praxis testatur; ergò nec etiàm Concilium alia similia privilegia Regularibus indulta: & hoc totum ex illa certissima regula, quod generale non revocat speciale.

Secunda responsio sit, quod præfatæ Constitutiones Gregorii XIII., & Sixti V. non solùm non revocant, sed potius confirmant prædictum Regularium privilegium ad hoc ùt possint suscipere Ordines extrà tempora; quod, ùt melius concipiatur, sic conficio argumentum. Gregorius XIII., & Sixtus V. confirmant privilegia Regularium, quæ non sint contraria decretis Concilii Tridentini; Sed privilegium Regularibus concessum suscipiendi Ordines extrà tempora non est contrarium Tridentini decretis, ergò &c.

Quod non sit contrarium patet ex eo, quia Concilium tantum disponit, quod Ordines Sacri suscipiantur intrà tempora à jure statuta, sed non revocat privilegia Apostolica anteà concessa aliquibus Regularibus, ùt ordinari possint extrà tempora. Ergo illi Regulares, qui habebant hujusmodi privilegia, non fuerunt compræhensi in dicta dispositione Concilij; quià istud non poterat compræhendere casum, de quo non fuit loquutum, nec cogitavit, ex regula prædicti *Textus in leg. Cum Aquiliana ff. de transact.* Vndè, si Concilium non compræhendit casum dictorum privilegiorum specialiter concessorum, tanquàm de eo non cogitantem, benè sequitur, talia privilegia non esse contraria decretis dicti Concilii; quià, si de eis non loquitur, neque supèr ea aliquid disponit, quomodò possunt esse illi contraria? Ergò si non sunt contraria (ùt apertè videntur non esse) clarum sit, quod non solum illa non revocant, sed potius confirmant Constitutiones Gregoriana, & Sixtina; siquidèm confirmant Regularium privilegia, quæ non sint contraria decretis Concilii Tridentini.

Ne-

Nequè etiàm aliquid afficit alia Constitutio Sixti V.,quæ incipit = *Sanctum, & salutare* = 19.in ordine ædita nonis Ianuarii 1589., ubi comminantur diversæ pęnæ aduersùs eos, qui peccantèr, & etiam extrà tempora se promoveri faciant ad Sacros Ordines, ubi etiam adiicitur clausula = *Non obstantibus Constitutionibus*.

Quià ad hoc respondetur, quod hujusmodi Bulla redacta fuit per Clementem VIII. in alia sua, quæ incipit = *Romanum Pontificem* = 40. in ordine, ædita prid. Kal. Martij 1595. ad terminos Concilii Tridentini: quo casu, ad eandem applicatur responsio, quæ suprà data fuit objectioni deductæ *ex cap.8. d. Conc. de reform. sess.23.*

Ultra quam quòd ex alio principio nihil officit prædicta Constitutio: siquidem loquitur de illis, qui nimia simplicitate, malitia, aut fraude, siuè aliàs minus ritè, aut temerè se ingerant ad Ordines suscipiendos, ùt clarè patet ex ea ibi = *ne nimia simplicitate, & imperitia, malitiave, aut fraude &c.* & ibi = *siuè aliàs minùs ritè, vel etiàm temerè se ingerant* = Quod minimè applicari potest Regularibus habentibus privilegium, ùt ordinari possint extrà tempora; quià tunc non temerè, non malitiosè, non fraudulentèr, nec minùs ritè; sed cum legitimo titulo se præsentant, ùt Ordines suscipiant. Et ità nihil contrà hanc sententiam facit prædicta Sixti Constitutio; exornat optimè *Roderic. d. quæst. 23. art. 5. vers. Nec supradictis obstat Constitutio* = cum multis aliis DD. suprà relatis.

Sed ùt ad metam deveniamus, omnem prorsùs in materia tollit ambiguitatem Constitutio Gregorii XIV. respectu Cisterciensium, quæ incipit = *Romanus Pontifex* = 16.in ordine, ædita 6. Septembris 1591., & alia ejusdem Pontificis in ordine 17., quæ incipit = *Illius, qui pro gregis* = ædita eodem anno 1591. Kal.Octobris respectu Cruciferorum, quibus concessit prædictus Pontifex omnia, & singula privilegia Societati Jesu, & alijs Religionibus indulta.

Nec obstare potest, quandò dicatur, privilegium in hac parte Jesuitis concessum esse incommunicabile; Siquidem Greg. XIII., qui illud concessit per Bullam, quæ incipit = *Pium, & utile* = 77. in ord. æditam 12. Septembris 1582., declarat, quod eo uti, & gaudere non possint aliæ Religiones cum ipsis Jesuitis communicantes.

Quia ad hoc respondetur, quod hoc benè facere poterat prædictus Gregorius XIII. respectu sui ipsius, vel suæ intentionis; sed in sua non erat potestate ligare manus suis Successoribus. Undè cum Gregorius XIV. absque ulla restrictione, vel limitatione concederet aliis Religionibus, ut gauderent omnibus gratiis, & privilegiis Societati Jesu à Sede Apostolica concessis, & inter ea sit unum, quod ordinari possint extrà tempora, benè sequitur, ùt omnes aliæ Religiones cum ipsa Societate communicantes eodem privilegio uti, & gaudere valeant indubitanter, optimè *Donat.*, *Hinoios.*, & alii apud *Dian. vbi supra d. resol.84. num.6. cum seqq.*

Sed absque eo, quod indigeamus Constitutione Gregorii XIII., adest alia

alia Clementis VIII., & altera Pauli V. ædita Kal. Decembris anno 1609., per quas concedunt prædicti Pontifices Fratribus Minoribus, ut possint extrà tempora à jure statuta Dominicis, vel aliis festivis diebus Ordines suscipere, ut videre est apud *Barbos.*, qui multos in comprobationem citat in *Commentar. ad d. cap. 8. Conc. Trid.*

Adest etiàm alia Constitutio ejusdem Clementis VIII., quam authenticam suo tempore offeram, æditam die 23. Novembris anno 1596. per quam concessit Religiosis Congregationis S. Ioannis Evangelistæ in Portugallia, ut Ordines suscipere possent extrà tempora, & hoc privilegium affirmat vidisse, & legisse in compendio Bullarii illius Congregationis *Portel. in dub. Regular. ver.*, *Ordines Sacri*, *num.* 4., cui, ut Nationali ejusdem Regni, omnis fides adhiberi debet: Et ego deponere possum, quod non solùm Fratres prædictæ Congregationis, sed aliarum etiàm Religionum in dicto Regno consistentium ab Episcopis passim, & frequentèr ordinantur extrà tempora, absque ulla hæsitatione, vel conscientiæ repugnantia; quòd non fieret à Viris satis doctis, & timoratis, nisi darentur à Sede Apostolica privilegia, & indulta id certò concedentia. Et cum omnes Religiones hodiè intèr se mutuò, & reciprocè communicent omnia privilegia, quæ suo statui, & Regulæ non repugnent, ut videre est latissimè apud *Roderic. quæst. Regul. tom.* 1. *quæst.* 55. *ab art.* 1. *usque ad* 22., in claris manet, quòd omnes Regulares hodiè, vel virtute privilegiorum sibi specialitèr concessorum, vel virtute communicationis eorum intèr se, licitè, justè, & indubitantèr possunt Ordinibus Sacris initiari extrà tempora à Iure statuta. Ità sentio, salvo &c.

ROMÆ, MDCCXXV.
Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ.

Superiorum permissu.